



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Venerabilis Yolandae Priorissae Ad Mariae Vallem in Ducatu Luciliburgensi

Wiltheim, Alexandre

Antuerpiae, 1674

Cap. III. Philippus Comes Viennensis & Dominus Grimbergensis, eiusque
uxor Maria, horumque liberi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11873

cretæ à se toto orbe terrarum illius festi diei, iam multò ante apud D. Martini Canonicos agente Iulianâ celebrari cœptæ, transmisit Petrum porrò D. Martini Canonicorum tunc præpositum, haud dubiè non parum res ista attinuerit. Anno deindè 1271 Eternaci tres fundos hæreditarios, Iensem, Buwilranum & Huchelinganum Margaritæ Comitissæ Luciliburgensi, eiusque filio Henrico, clientelares fecit, transituros sub iisdem formulis ad Philippum fratrem suum, eiusque posteros Comites Viennenses. Tabularum habeo exemplar.

Denique Yolandæ sororis exemplo, spretâ inclyti generis profapiâ, Patrum Dominicanorum Ordini se dedidit. De eo ita Ephemerides **MARIAE** Vallis.

Nonis Februarij obiit frater Petrus Prædicator, frater sororis Yolandæ Viennensis. Hâc die habebit conventus ad pitantiam X. solidos de bonis de Nortzingen.

YOLANDA nostra incomparabilis.
N. filia incompti nominis, ex solo Hermanno cognita.

CAPUT III.

Philippus Comes Viennensis & Dominus Grimbergensis, eiusque uxor Maria, horumque Liberi.

PHILIPPUS, genus in posteros propagavit. Friderico fratre maiore natu mortuo,
P primo-

primogeniti titulus ei, ut suprâ dictum tributus est, quòd in eum transisset ius & omnia primogeniti. Anno 1248. mense Iunio, iam ductâ uxore probavit, quod pater & mater eisdem Trinitarijs donassent domum hospitem Viennensem & Parœcias Mettendorfiam & Daleidanam. Tabulas posuimus in rebus Yolandæ. Cum iisdem parentibus alia deindè Trinitarijs contulit anno 1252. mense Iulio, ut ibidem dictum.

Patre post hæc in Palæstinam profecto, cum mater Comitatu Viennensi se abdicasset, donavit iisdem Trinitarijs silvam, quæ inter Darrenbachium & Kincenbachium, ut ex tabulis autographis habeo, in quibus ita scriptum. *Actum publicè coram Nobili & Charissimâ Matre nostrâ Margavetâ, quondam Comitissa Viennensi, præsentibus Viris Nobilibus Ioffrido de Wels, Henrico de Hokeleleic, Gerardo d'Erpeldanges, militibus &c. Anno 1252. mense Februario.* Annus hîc positus more veteri Gallico, quem hodieque morem Treviri servant, & cum annum à Ianuario nos ordiamur, illi inchoant à XXV. Martij, tantò serius post nos. Editæ ergo hæc tabulæ anno epochæ nostræ non 1252. sed sequenti 1253. Cera appensa tabulis, habet equitem, qualem in rebus Yolandæ descripsimus, cum insignijs Leonis. Circumscriptum. S. PHILIPPI DE VIENNA DOMINI DE DASBERCH. In averfâ cerâ circûm Parmam Leone notatam: CLAVIS SIGILLI.

Mirabar hoc loco, cur in illâ Philippi cerâ,
Comes

Comes ipse Viennensis non inscribatnr, sed tantum Dasberchi Dominus, contra quam in ipsismet tabulis factum in quibus disertè se dicit Comitem Viennensem? Sed occurrebat, eum sigillo vetere usum, quo antehac, patre etiamnum vivente, ceras notabat, qualis est cera illa in rebus Yolandæ descripta anno 1252. Et memineram exempla vidisse me in archio nobilissimi cœnobij D. Maximini, ubi Otho Secundus signavit Patris imagine, & contra Otho Primus imagine filij; ut satis appareat, veteres in ceris tabularum notandis non summâ semper religione ductos, sed alia subindè sigilla impressisse pro alijs. Alioqui, Philippum deindè usum paternis Comitum Viennensium insignijs, hoc est Parmâ in scuto, observavit V. A. Eustachius Wilthemius, Præses Luciliburgensis, in collectione familiarum equestrium provinciæ nostræ.

Roda vicus est Viennâ haud procul, parœcia quondam erat Viennensium, Templarijs subiecta. Sed quòd Viennensibus grave esset ibi frequentare sacra, & quod eius parœciæ essent optima vectigalia, Arnoldus Trevirorum Archi-Episcopus eam partitus est, ita, ut duæ in posterum essent, altera Rodæ, iuris Templariorum; altera Viennæ, iuris Comitum. Tabulas eâ de re anno 1256. mense Aprili factas, Magister Fulco de S. Michaële, domorum Militiæ templi in Franciâ, & Comes Viennensis Philippus, cum coniuge, laudaverunt.

Bello deinde Philippus cum Mediomatricensibus implicitus est, horumque partes visus est tenuisse Henricus Comes Luciliburgensis. Capta eo bello Vienna, Philippus recuperaturus suum oppidum, illud obsedit. Belli exitum atque causas non invenio. Facile tamen cum V. A. Eustachio Wilthemio eo retulerim, quod Henricus Bellacostæ Dominus, Philippi ex Friderico fratre primogenito antè hæc tempora iam mortuo nepos, Viennam sibi, ut succedenti in iura patris, arrogaret, contrà negante Philippo, successionis eius ius illi competere. Undè factum, ut Bellacostanus defensionis iuris sui auxilia imploraverit. Cuius autem potius, quam eius, in cuius clientelâ erat ab antiquo Vienna, Henrici Comitis Luciliburgensis? Nec alienum fuerit opinari, Philippum, aut neglexisse clientelæ officium, aut sanè etiam omninò excutere conatum, ob eamque rem Henricum Luciliburgensem facilè ad arma contrà eum cum Henrico Bellacostano commotum. Certè Philippus multâ post hæc variâque pactione ægre adactus est, ut se clientem Luciliburgensem Viennæ nomine, maiorum more profiteretur, ut in loco dicam.

In quibusdam tabulis anno 1270 scriptis, ait Philippus, se unâ cum filio Godefrido è castro Viennensi fuisse olim eiectum, & cum Henrico Bellacostano pacem pepegisse; ut perspicuum sit, Bellacostani causâ præcipuè gestum hoc bellum. At cur ei bello Mediomatricenses intervenerint, nondum

nondum assequor. Cum Henrico quidem Luciliburgensi ita tandem Philippus convenit, ut damna bello invicem sibi suisque illata, quisque pro se ferret. Tabulæ eâ de re sunt in archio Luciliburgensi, factæ anno 1257. die Lunæ post D. Nicolai ferias. Cum Bellacostano quoque pax inita, sed minimè duratura, ut eventus patefecit.

Interim finis impositus est Rodensi controversiæ, & quid Viennensi Parœciæ, quidve Rodensi iuris esset, tabulis anno 1261 conscriptis, definitum, cuncta laudantibus Philippo Comite, & Mariâ coniuge eius, & Huberto de Peraut, Præceptore domorum Militiæ templi in Lotharingiâ.

Hic monuerim, veterem esse famam, arcem Viennensem Templarijs quondam paruisse Dominis, sed errore. Causam errori præbuerit, quod Viennensis parœcia à Rodensi Templariorum partitione, de quâ suprâ, velut prognata sit. Nec famam à vanitate defendit, quod hodieque in sacelli arcis Viennensis parietibus vetustæ admodum pictæ sunt imagines Templariorum, aliorum equis vehementium, aliorum sacro habitu convestitorum. Potuère qualibet de causa hominum ad Viennensium sacrorum originem spectantium imagines in arce depingi.

Bello deindè inter Henricum Bellacostanum & Philippum redintegato, ille hunc Bellacostæ captivum habuit. Id ubi comperit Philippi frater Henricus Episcopus Traiectensis, suasu Petri

fratris eorum, Præpositi ad D. Martini Leodij, Virorumque Nobilium atque amicorum, egit de liberando Philippo cum Henrico Comite Luciliburgensi. Is liberatione in se susceptâ, ita pactus est: Ut Philippus eiusque posterum Viennam à se successoribusque suis clientelari iure tenerent. Additum, ut Bellacosta Philippo restitueretur, nisi per pacta pacis cederet Henrico Bellacostano: ea autem pax ut ne fieret absque interventu Henrici Episcopi, & Petri Præpositi ad D. Martini fratrum, & Præpositi ad D. Gereonis Colonia Agrippinæ, Bellacostam si Luciliburgius obsideret, & liberando Philippo restituendaque ei Bellacostâ sumptum bello faceret, 700 libras nummum Turonensium, nec amplius, acciperet: ut maturandâ Philippi liberatione, Viennam interim Philippus Rulandio & Koerichio viris equestribus, ceu fideijussoribus, committeret. In hæc maximè capita scriptæ signatæque tabulæ, anno 1264. pridie festæ diei D. Petri, mense Augusto. Ita liberatus Philippus: Bellacosta Henrico addicta: Vienna Luciliburgensi, clientelæ nomine asserta, necdum tamen Philippo reddita.

Anno deindè 1266. mense Junio, Philippus unâ cum Mariâ coniuge, Henricum Grimbergium, fratrem Domini ab Asch, clientem perpetuum factis tabulis sibi adscivit, dato ei fundo Bougenhoutano. Tabulas habet Butkenius.

Eodem anno, pridie festi diei assumptæ in cælum Virginis, Henrico Comite Luciliburgensi faciente

faciente foedus cum Friderico Lotharingæ Duce adversus Theobaldum Barri Comitem, inter decem viros Luciliburgensium procerum, qui in pacta iuraverunt, fuit Philippus. Tabulas edidit Hieronymus Bergierius, in libro de stemmate Principum Lotharingorum. Quod verò antè quinquennium inter Henricum Luciliburgensem & Henricum Episcopum Traiectensem pactione convenerat, ut Philippus Luciliburgensi Viennam clientelæ nomine submitteret, id anno 1269. scriptis die festo D. Barnabæ, mense Junio, tabulis, peractum est: nimirum, ut arx Viennensis cum oppido omnique ditione, & quidquid ad eam attineret, demptis rebus quæ in clientelâ essent Prumiensium Abbatum, Henrico Comiti Luciliburgensi posterisque eius, clientelari iure subiecta essent. Et quamquam iam ab antiquo clientelam hanc maiores instituerant, firmata tamen est, numeratâ Philippo pecuniâ, alijsque additis conditionibus. Cumque anno sequenti 1270. Henricus Luciliburgensis cruce signatus in Palæstinam profectus esset, iterata est clientelâ antè memorata, addictaque Margaritæ eius coniugi, & Henrico maiori natu filio (qui deindè ad Buruncum occubuit) additumque clientelæ velut augmentum; Primùm bona Philippi clientelaria Prumiensia, sed secundariò; *possendum* seu *retrosendum* appellabant: deindè arx novi Castrî in Arduennâ Germanicâ, cum agro suo, ita tamen, ut Fridericus Novocâstrius earundem

rerum causâ remaneret in avitâ Philippi clientelâ ex dimidio : altero dimidio iam directâ clientelâ pro 300. libris nummûm, Luciliburgensibus futuro impostero obnoxio. In hæc data à Philippo iurataque fides, die Matris ultimo antè ferias ieiunij quadragenarij. Testes adscripti tabulis, Henricus Bellacostanus, & Fridericus Novocastrius.

Alijs deindè tabulis eodem die cuncta antè dicta firmata sunt ; decretum insuper à Philippo, ut si quidquam eorum ipse eiusve posterius infringere, tum clientes sui, Godefridus de Esch, Novocastrius, Rudolfus de Strepiniaco, Brandenburgensis, Oschetanus, Heinsbergius, Guarnerus, Bourcheitanus, posterique eorum, viri omnes equestri ordine, in Comitum Luciliburgensium clientelam transirent, cum iisque contra Viennenses starent, quoad iniuriæ factum esset satis. Ceras cum Philippo tabulis apposuerunt Godefridus de Esch, Fridericus Novocastrius, & Rudolfus de Strepiniaco. Eodem anno atque die Henricus Bellacostanus Margaritæ & Henrico eius filio Comitibus Luciliburgensibus, Bellacostam & curiam Prontsfeltanam, clientelarem fecit. Exceptit tamen Philippum Viennensem patrum suum, eiusque filium Godefridum, nimirum, ut contra hos arma ferre ne teneretur, ipse posterique eius, intrâ generationem quartam : impostero, ut ne valeret exceptio. Addidit. Si contingeret Philippum arcem Viennensem recipere,

pere, nec pactæ paci stare velle, tum Henricum Luciliburgium sibi contrâ Philippum auxilio esse oportere, seque & eius successoribus cum eodem Luciliburgio adversus Philippum, aliumve quemlibet Viennæ ac Dasbergi infessorem, seu is Dux Lotharingiæ foret seu quis alius, arma societatemque posse coniungere.

Ceterum quod Lotharingo in Viennam & Dasbergum ius esse potuerit, non comperi. Si coniectare licet, ita opinor. Hieronymus Vignierius, gravis doctissimusque stemmatis Lotharingici scriptor, tradit, Idam de Viennâ nuptam Friderico Lotharingiæ Duci, cui à Bittis est vulgò cognomen, filio Ducis Mathæi. Idam autem interpretatus est Matisconensem. Sed viderit, si libet, sitne rectius interpretari Idam Viennensem nostram? Sic Lotharingorum Principum ius aliquod uxorium in Viennam & Daspergam facilè erit assequi, atque insuper Cantipratanum intelligere, dum Yolandam appellat *Moderatoris* seu Imperatoris *Romanorum* neprem. Fuit enim Mathæi Lotharingiæ Ducis uxor Friderici mater, Berta, soror Friderici Barbarossæ Imperatoris, anno 1190. defuncti, ac proindè rectè à Cantipratano dici potuit Yolanda Barbarossæ *neptis* seu cognata. Neptes enim ea secula qualescumque cognatas nuncupabant, ut docet V. C. Iacobus Chiffletius in vindicijs Hispanicis.

Eodem item anno Millesimo ducentesimo septuagesimo, sed incompertâ die, Philippus Hen-

234 *Genealogia Historica, veterum Comitum*
rico Comiti Lucilburgensi scriptis tabulis testi-
ficatus est, quæ ipse à patre Henrici, eo tempore
cruce signato, ob damna illata in arcibus ceteris-
que rebus iure deposceret, de ijs omnibus sibi
cumulatè satisfactum.

Anno sequenti 1271. idem Philippus cum
coniuge Mariâ Henrico Grimbergio clientelarem
fundum Bouggerhoutanum, adiectâ silvâ, adau-
xit. Tabulas edidit Butkenius.

Tandem anno 1272. Philippus decessit. Diem
mortis Ephemerides MARIAE Vallis ita habent:
*IX. Kal. Maij, obiit Philippus Comes Viennensis. Hæc
die habebit Conventus ad pirantiam XX. solidos.*

Uxor Philippi fuit Maria de Perviciaco, mor-
tuo fratre Godefrido, hæres Perviciaci & Grim-
bergæ, quos exindè titulos Comites Viennenses
Philippi posterius sumpsere, cum ipsis adeò insig-
nijs Perviciacensibus, nimirum, parmâ rubrâ,
cum fasciâ argenteâ.

supervixit Maria ad annum usque 1275. quo
anno ipsa, titulo Dominae de *Grimberge* & de
Perweis, Godefrido filio clientelæ nomine varios
fundos attribuit. Tabulas eius rei Butkenius
protulit.

PHILIPPI & MARIE LIBERI.

HENRICUS. Antè annum 1280. deces-
sit, si non multò antè. Anno siquidem 1270. in
quibusdam tabulis, ut suprâ dictum, mentio est
de Godefrido Philippi filio secundo genito, cum
patre

patre Viennâ , ceu possessione communi , eiecto, quod de Henrico primogenito, siquidem tum inter vivos fuisset , dictum oportebat. Puerum autem decessisse , argumento est puerilis eius imago in tumbâ aviæ eius Margaritæ ; nec improbabile, eodem cum aviâ tumulo sepultum. Ita autem in ea tumba de Henrico scriptum , ut suprâ memorabam. *Henricus primogenitus Philippi Comitis Viennensis.* At in Ephemeridibus *MARIAE Vallis*, ita :

XVI. Kalendis Ianuarij obiit Henricus primogenitus Philippi, Comitis Viennensis, de quo habuimus XX. libras. Hac die habebit Conventus ad Pirantiam XX. Solidos.

G O D E F R I D U S, gentis propagator, de quo mox.

P H I L I P P U S. Anno 1285. cum Mariâ matre & fratre Godefrido, ceram tabulis maternis apposuit, notatam insignijs Perviciacensibus, ut est in Butkenio. Tradit idem in titulis eum gessisse Rumpstam, Hobokam, Vittelam, & Viennam pro parte quartâ, coniugemque habuisse Sophiam de Scornaco, liberosque ex eâ Philippum & Mariam.

Anno 1312. interfuit Cortebergæ celeberrimo Conventui, quem eo loco instituit Ioannes eo nomine Secundus, Brabantiae Dux, legesque ab eo latis cum ceteris Principibus equestribusque viris signavit, V. Kal. Octobris, ut ex monumentis Brabanticis tradit idem Butkenius.

MARGARITA, nupta Arnolde Comiti Loffensi, quam anno 1280. factis tabulis dotavit, exhibetque tabulas idem Butkenius.

CAPUT IV.

*Godefridus Comes Viennensis cum Vxoribus
Aleidâ & Lutgardâ, liberisque
eorum.*

IAm anno 1270. exstat eius nomen in tabulis, ut suprâ dictum.

Anno 1279. cum controversia fuisset inter Henricum Bellacostanum, & Abbatem Prumiensem, eamque composuissent Alexander Brunishornius & Gerardus Blankenheimius, factum laudavere Henricus Luciliburgensis, & Godefridus Viennensis Comites. Ex tabulis.

Anno 1285. VII. Idus Iunias, Maria Godefridi mater, defuncto marito Philippo, silvam Marbaissiam clientelæ nomine ei tribuit. Tabulis ceram Godefridus cum Philippo fratre appendit, notatam Parmâ Perviciacensi cum hoc titulo. *S. Godefroi de Viane.* Butkenius edidit tabulas.

Scriptit hoc anno Iacobus Bretexius de ludis equestribus habitis antè arcem Caluenciensem in Provincia nostra, præsentem Comite Luciliburgensi cum coniuge, multisque proceribus. Meminit inter alios Comitis Viennensis, eumque narrat